

Ad cuius nomen violenta morte fugatæ,
Pectoribus propriis alienaque pectora nactæ,
Exclamant, pallentque animæ, jussæque recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produunt,
Cum terram cœlumque inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.

A At nunc tu Dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,
Edictisque parem quæ lex tibi condita sancit:
Victorem lætumque pares mihi Constantinum:
Hoc melius fetu, terris nihil ante dedisti,
Nec dabis: exæquent utinam sua pignora patrem!

CELSI

IN ALTERCATIONEM JASONIS ET PAPISCI

PRÆFATIO

DE JUDAICA INCREDULITATE, AD VIGILIUM EPISCOPUM.

I. Etsi plurimos gentilium scio, Vigili sanctissime, ab ordine atque ratione veritatis aversos, quominus Dominum noscant, cæcitate mentis errare; tamen magis Judaicæ plebis insaniam novi adversus nomen Domini, pertinaci etiam nunc duritia cordis, ingenita et patrum iniquitate perstare; aversantes veram salutem, nec inquirentes vitæ æternæ datorem: ut qui delictis stirpis antiquæ sunt pari merito nequitæ genitalis obnoxii, saltem vel sero credentes possint conversi ad Domini timorem satisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari. Sed perstat et durat adhuc, et semper, puto, durabit ad usque progeniem succidaneam innata patrum irreligiosa perfidia; quæ adversus odium nominis Domini incredulitatis insania roborata, nec ad agnoscendam veritatem potest corrigi, nec ad timorem Dei ipsius monitis doceri atque suaderi. Cum autem doceat Dominus et ostendat, dicens (*Joan.*, viii, 12): *Ego sum lumen sæculi: qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ: quæ, malum, ratio est, ostensum divinitus vitæ lumen omittere, et mentis cæcitate malle tenebras mortis eligere, ut ostendat damnationis suæ propriæ voluntatis libera et illicita perditione, contra Deum etiam illa nolle quæ prosunt?* Secundum quod et

B per Domini vocem increpatam Hierusalem, quod colligi noluerit, Deo illam volente colligere, loquitur Spiritus sanctus, et bonitatem Dei manifestat peccatoribus subvenire jugiter velle (*Matth.*, xxii, 37): *Hierusalem, Hierusalem quæ interficis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina colligit filios suos sub axillas, et noluisti?* Adeo Dei voce manifeste perfidi populi contumacia denotatur, ut etiam salutem propriam suam semper adversus clementem misericordiam Domini sprevisse doceatur. Inde Propheta benevolentiam Dei, exhortatione prædicationis offerens et insinuans, proclamat et suadet, dicens (*Malach.* iii, 7): *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus.*
C Alius quoque similiter misericordiam Domini sempiternam manere demonstrans, addidit dicens (*Ezech.*, xxxiii, 11): *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat, dicit Dominus.*

II. Quid est ergo reverti ad Dominum, quam in Christum credendo, per eum qui est via veniendi ad patrem, Deo reconciliatum posse salvari? Quomodo autem reverti ad Deum possunt, qui ei per quem est agnitio et reversio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere noluerunt? Aut quomodo Deum satisfactione aliqua placare potuerint, qui eum qui est

ANNOTATIONES.

Etsi plurimos. Ante hæc verba legitur in cod. D Colbertino 1453: *Cyprianus Vigilio fratri salutem.*

Tamen. Tunc in omnibus codd. mss. Paulo ante editi habent *aversos*.

Aversantes. Sic omnes codices mss. et paulo post *inquirentes*: editi *aversantis* et *inquirentis*. Paulo ante conjunctionem et addidi ante patrum ex cod. Remigiano.

Satisfactione. Remig., *Unanimoda satisfactione pœnitentiæ*.

Puto, durabit. Has voces addidimus ex cod. Rem.

Insania. Sic duo codices mss.; editi, *insania*. Sic etiam *ad agnoscendam* in duobus codicibus mss.; *nosdam* editi.

Quæ, malum, ratio est. Aliter in duobus antiquis codicibus: *Hæc* (id est, Judæa) *maluit ratione ostensum divinitus lumen omittere, et mentis cæcitate alere*

D *et tenebras mortis eligere, etc.*

Libera et illicita perditione. Sic quatuor codices mss.; editi, *liberam, etc.*

Quæ prosunt. Aliter unus cod. ms., *quæ possunt. Deo illam.* Sic quatuor codices mss.; editi, *Domino.*

Manifeste. Sic codd. tres melioris notæ: editi, *manifesta.*

Inde Propheta. Emendavimus auctoritate trium codd. mss. quod mendose antea legebatur; *Propheta item alius benevolentiam Dei exhortatione offerens, prædicatione insinuans.*

Alius quoque. Sic tres codices mss.; editi, *alias quoque similiter misericordiam suam Deus: unus codex ms., per alium.*

Ad Dominum. Has voces addidi ex cod. Remig. et paulo post *aliqua ante placare.*

Potuerint. Sic codex Remig.; editi, *potuerunt; unus cod. ms., poterunt.*

satisfactio et placatio pro nobis apud Patrem, sacrilega impugnatione persequi maluerunt? Si enim (I Joan., II, 1) : *Advocatum Christum habemus apud Deum Patrem*, servare ea quæ nos docuit et monuit, quæque apud Patrem locuturus est, sollicito timore facere debemus. Igitur nos qui mente in Domini metum prona, mandatorum ejus monitis insistimus, et religiosi ac venerabilis cordis fidem et credulitatem de ejus timore concepimus; quid aliud sequi, quid cupere, quid magis velle ac tenere debemus, quam ut omni a nobis mentis antiquæ nocte discussa, et caligine vitæ prioris abstersa, mandatorum Domini salutarium memores ac vitæ æternæ promissa retinentes, ad ejus monita revertamur et in ipsius lumine quod ostendit, firmata credulitate gradiamur? ut qui **I**gnari aliquando salutis futuræ, in erroribus implicati vitæ prioris ac tenebris aberravimus, illuminati nunc ejus veri luminis claritate, et ostenso nobis atque patefacto melioris vitæ limite, Domini mandata sequenda et gerenda teneamus.

III. Hoc lumen nobis vitæ salutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum de Dei Patris procuratore ac miseratione præsidium, Magi primi ab orientali parte venientes, et stella duce Judæorum regem palam præscia prædicatione quærentes, afferentes etiam munera, testificata omnibus inquisitione monstrarunt. Et ne aliquibus quis ille esset, absconsum foret, inventum puerum procidentes genibus adorarunt; sicut testificatur Evangelium, dicens : *Cum autem natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt in Hierosolimam dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (Matth., II, 1) : testificantes scilicet veritatem de eo, etiam stellam sibi signum atque indicium nativitatis ipsius esse monstratam; qua indice natum esse illum Magis prædicantibus et affirmantibus, Hierosolymis crederetur. Simeon quoque justus qui in cæcitate constitutus, divino monitus oraculo audierat se non ante moriturum quam vidisset Christum; cum in templum, omni populo præsentem, infantem secum inferret mater, et in spiritu natum esse Christum sensisset, acceptum in manus puerum vidit; et benedicens Deum, in conspectu et auditu omnium dixit (Luc., II, 29) : *Nunc dimittis servum tuum Do-*

Amine, secundum verbum tuum in pace : quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Simeon quod cæcus audierat, evidenti veritate perfectum esse annuntiabat; et veritatem quam accepto lumine viderat, benedicendo palam Deum populo prædicabat. Ad hoc enim viderat ut referret, et revelatione sua quod Christus natus fuisset, ostenderet, et perfidi populi initia prima incredulitatis instrueret.

IV. Nec hoc solum testimonium de eo Scripturarum cœlestium veritas perhibet, verum et per prophetas ante Spiritus sanctus adventum ejus in hunc mundum futurum, palam mente omnium consciente prædicavit. Nec est obtentus excusationis incredulis, vel ignorasse Dei filium Christum, vel ignorasse Dei filium Christum, vel nescisse futurum Salvatoris adventum; sicut David manifestat, dicens (Psal. XVII, 3, 6) : *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt sermones nec verba, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et trans fines terræ fines eorum. In sole posuit tabernaculum suum* : id est, in manifesta luce, palam se ipsum venisse monstravit; et per prædicationem prophetarum quodammodo omnibus suæ præsentis ostensionem comprobavit. Hoc etiam Esaias, per quem Dominus præsentiam suam clara annuntiationis manifestatione monstravit, prophetat et dicit (Isa., III, 6) : *Ego ipse qui loquebar, veni* : id est, qui per prophetas ante adventum meum futurum prælocutus fueram, ipse nunc veni, ut omnibus præsentiam meam ipse ego testis mei manifestem. Quid evidentius? Quid hac luce præclarius? Quid verius potest dici? Ut ergo oculis quodam modo perspectus esset; se venisse, ipse qui fuerat jam venturus, antequam veniret ostendit; et incredulitate mentes populi perfidi obstruente, venientem nemo cognovit. Sicut idem Esaias in prima increpatione populi proclamat dicens (Isa., I, 3) : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepium domini sui : Israel autem me nescit et plebs me non intellexit*. Palam cunctis, sicut ipse prædixit, apparuit; et sedentibus in tenebris manifestum vitæ lumen effulsit; et injustitia perfidorum pectus obsessum, postposita propria ac rejecta salute, tenebras potius cæcitatemque cordis elegit.

V. Frequenter ubique atque manifestat prophetatio cunctorum, qui sancto Spiritu præmo-

ANNOTATIONES.

Apud Patrem. Sic codex Remigianus cum alio; editi, *ad Patrem*; quidam codices mss., *locutus est*.

Fidem et credulitatem. Sic emendavi auctoritate cod. Remig.; editi, *fidem, credulitatem*. Paulo post *concepimus* et *revertamur* ex eodem cod. et nonnullis aliis, pro eo quod est in editis *concepimus* et *vertamur*.

Foret. Hanc vocem addidi ex Remig.; alius, *esset*.

Esse illum. Has voces addidi ex Remig. Paulo post *crederetur* in quatuor codicibus mss.; *crederent* in edit.

Divino monitus oraculo. Sic Remig.; alius, *divino responso monitus*; editi, *divino monitu*.

Inferret. Sic Remig. cum alio; editi, *ferret*.

Perfectum esse annuntiabat. Sic Remig.; editi, *perfectum est*.

In manifesta luce. Sic Remig.; in manifesto in luce edit.

Per prædicationem. Editi, et *prædicatione* per prophetas sui ostensione quodammodo omnibus suam præsentiam probavit. Hæc et quæ sequuntur usque ad has voces, et *incredulitate*, emendavi auctoritate codicis Remig., cui alii magna ex parte consentiunt.

Mentes. Sic Pamelius; plerique codices mss., *mentis*; deest in accuratissimo codice Remig.: unde conjicio hanc vocem, quæ per se inutilis est, expungendam esse. Paulo post *populi* ex eodem cod. et aliis quatuor; editi, *populo*.

Injustitia. Sic Remig. cum duobus aliis; editi, *justitia*. Paulo post *cæcitateque cordis* ex eodem codice posuimus pro *cæcitate cordis*.

Frequenter, etc. Sic Remig. cum plerisque aliis; editi, *frequentatur*.

Sancto Spiritu. Desunt hæc verba in Remig.

nente adventus Domini metatores esse sortiti sunt. Hoc lumen sæculo datum, et diem nobis salutis exortum vivificandis quoque in eum credentibus destinatum docet in Psalmis Spiritus sanctus et ostendit dicens (*Psal.* cxvii, 22-24) : *Lapis quem reprobaverunt ædicantes, hic factus est in caput anguli : a Domino factus est iste, et est admirabilis in oculis nostris ; iste dies est quem fecit Dominus : ambulemus et jucundemur in eo.* In hoc die nos ambulare Paulus quoque apostolus præcipiens et docens ac præmonens, dicit (*Rom.*, xiii, 11-15). *Nunc enim propius est nobis salus quam cum credidimus : nox præcessit ; dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus :* id est, in Christo et mandatis ejus, cujus lumine ac monitis luminati, et in claritate diei ejus inventi, proximam nobis salutem credula in eum mente conspiciamus.

VI. Solem quoque esse Christum cunctis timentibus eum, Malachias propheta testatur et promittit, dicens (*Malach.*, iv, 2.) *Vobis autem timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, et sanitas in alis ejus :* ostendens ex nullo nobis salutem posse conferri, nisi in passione crucis ejus, qua extendens manus cuncta sæculi salvaturus amplexus est, ut converso ad eum timore credamus æternitatem vitæ et spe futuri regni ejus animemur. Quis enim tam stolidus ac demens, quis sic ab intellectu suæ salutis alienus, qui tot et tantis veritatis testimoniis incredulus non adversus meram fidem obduratum pectus intellectu veritatis emolliat, et tenebris vitæ quondam mortalis exutus, in lumine præceptorum cælestium gradiens, ad divina monita et Domini salutaria gerenda mandata, illuminato corde, tota mentis ac fidei credulitate convertat? ut quem prophetæ prædicaverunt, Deum noscat; ut Christum qui se palam mundo venisse monstravit, intelligat; ut Scripturis divinitus testificantibus, Dei Filium et Deum credat. Sicut ipse, quæ sit vita æterna manifestat dicens (*Joan.*, xvii, 5) : *Hæc est autem, ait, vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum : docens atque ostendens, nihil aliud esse Deum nosse, quam credere, et oculos cordis in Dominum prona, immo tota pectoris fide et devotione mentis aperire. Inde jam fit ut credendo intelligas, intelligendo quod credis, illumi-*

nato corde conspicias; sicut idem ipse Dominus et per Esaiam monet, dicens (*Isa.*, vii, 9) : *Si non credideritis, nec intelligitis.* Tam facilis et præstans et larga est atque abundans de Domini pietate clementia, ut si quis semel sese ad eum toto timore converterit; ad cæleste munus admissus, statim mens ejus non jam nisi ad divina pateat, et ad cælum ac superna oculos cordis attolens, Christi lumen ac patriam salutis aspiciat.

VII. Exemplum ac documentum nostri timoris et fidei, ex ipsius Abrahæ patriarchæ fidei credulitate monstratur, qui repromissioni Dei mente simplici statim credidit; et ideo ad justitiam deputari ei condigna remuneratione commisit. Hoc Deus diligit, hoc appetit, hoc in servis suis benignus remunerat et honorat; simplicitatem videlicet mundi cordis quo eum cernimus, timorem dilectionis Domini quo probamur, credulam fidem mentis qua justitiæ deprimamur. Hanc fidem sequi, hunc Dei timorem servare nos convenit; qui custodientes verba cælestia, et sperantes promissa divina, filii Abrahæ meruimus nuncupari. Quod apostoli Pauli qui Dei voce vas electionis est dictus, contestatione firmatur dicentis (*Gal.*, iii, 6, 7) : *Sic Abraham credidit Deo, et accepto latum est ei ad justitiam. Cognoscite ergo, quoniam qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ.* Hoc Judaicus populus cui a primordio legis monita loquebantur, incredulæ mentis duritia et perfidi cordis insania servare noluit; et ideo pro diffidentia merito, filiorum nomen amisit. Non tamen omnium perfidæ gentis, adversus nomen Domini, quominus intelligerent veritatem, odio obdurata mens est. Etiamque Spiritus sanctus, id est, Christus Dominus noster profectus ex Deo Patre venit ut salvum faceret quod perierat Israelis; qui major ac fortior ad subigenda contumacium colla in timorem sui nominis et potestatem, eos qui adversus luminis sui claritatem, obstinata etiam tunc mentis cæcitate durabant, ad notitiam claritatis et gloriæ suæ tam facile convertit; quam ut omnes salvos faceret providentia suæ divinæ misericordiæ dignatus advenit.

VIII. Nam ut duri cordis tunc et impiæ plebis ad Domini metum, ipso Domino evangelizante, conversas mentes sileam; ut Apostolorum ejus prædicatione multiplicatum in toto orbe et reversum credentium populum conticescam: illud præclarum atque memorabile gloriosumque JASONIS Hebræi Christiani, et

ANNOTATIONES.

et duobus aliis; præmonente in eodem codice, ex quo etiam sequentem periodum in editis corruptam emendavimus.

Factus est iste. Sic Remig. et alii duo: *factum est istud editi.*

Credula. Sic Remig.; editi, *credulitatis.*

Cuncta sæculi. Aliter in quodam codice Baluzii, nunc bibliothecæ Regiæ, *cuncta sæcula complexus est.* Quæ sequuntur emendata auctoritate cod. Remig., cui alius ex parte consentit. Sic legebatur apud Morel.: *converso (Pamel. ergo) ad eum timore credamus et ad æternitatem vitæ spei futuri., etc.*

Adversus meram. Sic Remig. cum duobus aliis, quorum alter habet *adversus veram fidem*; editi, *adversus in meram vel in veram.*

Tota. Remig. et alius, *toto*, videlicet corde toto. Paulo post, *quæ sit vita*: Remig., *qui sit*; alius, *quid sit.*

Et devotione. In hac verborum complexione et in sequentibus codicem Remig. accurate sequimur, ac multa emendamus; velut quod vitiose in editis legebatur, *tota pectoris fide devotæ mentis*: et non multo post, *Christi lumen partæ jam salutis aspiciat.*

Videlicet. Addidimus ex Remig. Paulo post ex eodem, *quo eum cernimus*, pro eo quod erat in editis, *quo quidem ejus cernimus.*

Accepto latum est. *Mandato reputatum est* Remig.

Obdurata. Sic Remig.; editi, *durata.*

Spiritus sanctus. Aliter in Remig., *Dominus enim Christus, Dei Filius, Dominus noster, qui profectus.*

Dignatus. Ac dignatione Remig.

PAPISCI Alexandrini Judæi disceptationis occurrit; A
 Judaici cordis obstinatam duritiam, brevi admonitione ac leni increpatione mollitam; et victricem in Papisci corde Jasonis de Spiritu sancti infusione doctrinam: qua Papiscus ad intellectum veritatis admissus, et ad timorem Domini, ipso Domino miserante, formatus, et Jesum Christum Filium Dei credidit, et ut signaculum sumeret deprecatus, Jasonem postulavit. Probat hoc scriptura concertationis ipsorum, quæ collidentium inter se, Papisci adversantis veritati, et Jasonis asserentis et vindicantis, dispositionem et plenitudinem Christi, Græci sermonis opere signata est: ad cujus translationem ad intellectum Latinum, animante Dei ope et juvenis fidei firmitate, servata verborum proprietate, intrepidus accessi; et his qui ab intellectu Græcæ docilitatis alieni sunt, interpretata integra et significatione verborum, et intellectus omnis ac veritalis manifestatione patefacta, Romani sermonis ratione discussa, disserui. Cujus laboris probationem tibi, charissime, qui utriusque linguæ instructione fundatus es, impensa petitione committo: ut qui sancti Spiritus veneratione verecundus es, collata utriusque operis lectione, audaciam verecundæ temeritatis explores; et examine judicii tui, quæ minus a nobis vel improprie forte digesta sunt, auctoritate Spiritus sancti qui in pectus tuum inundatione gratiæ cœlestis influxit, comprobes et emendes; sitque ad te de ista lectione ab humilitate nostra mandata legatio, et insinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio; ut parvitatem fidei meæ, cum discipulorum tuorum instructione atque eruditione conjungas; et me quem in alia parte hujus provinciæ constitutum propter visendos vultus tuos non itineris longinquitas terruit, nec senium ac difficultas fatigati ac fessi jam corporis retardavit, sed animante famulatu Domini, et urgente festinata cupiditate properandi, contempta quoque omni tribulatione inopiæ atque penuriæ, quantacumque virium facultate veniendi sanctimoniam tuam celebris huc fama perduxit, ad proximam dilectionis tuæ charitatem cum unanimitate fraternitatis admittas; et amori tuo quem discipulis suis Dominus hereditatis titulo reliquit, conjungas pariter et adsciscas; ut expectem pariter cum fratribus in apertione oris tui splendorem gratiæ luminis Christi. Tu enim sequeris in tractatibus tuis lumen vitæ, quod Dominus ostendit, quod Christus adveniens æternam se esse vitam monstravit.

IX. Certe quam mihi beta illa, quam exoptabilis dies est, cum misericordia Domini ac favore accersitione dilata, senectam istam meam proferre contigerit; ut et orationibus sanctorum impense et jugiter deprecantium Dominum conjungi merear, ut Christi martyrem videam, ut coronam justitiæ quæ tibi penes Dominum deposita est, portare conspiciam. Non autem putaveris martyrii tibi, secundum præsens votum fidei, gloriam tribui. Tunc inde felicitatis hujus collata dignatio est; tunc iudicio justo Dominus elegit destinatum martyrem, cum te exemptum de justorum grege atque assumptum sibi de inopinato constituit altari suo sacerdotem. Præclara prorsus et gloriosa vocationis electio, et de Domini dignatione nova atque inaudita et mira felicitas: transmarinæ peregrinationis necessitatibus occupatum, ad destinatum tibi munus, ignarum ac nescium repente venisse: atque ita regressus tui tempus ad hoc esse liberatum, ut inspirata celeritate veniendi, intelligeres atque dignosceres honorem sacerdotii cœlestis inter cæteros tibi potissimum destinatum, et quod jussione Domini expectatus venires atque occurreres, reservatum. Ut enim Ecclesiæ suæ Dominus tota miserationis pietate consuleret, dimicantis plebis mora, quem potius eligeret episcopum, te quæreni populo suo Christus inopinatum repente obtulit, et complacitum sibi cœlestis providentia, manifeste adventus tui improvisa occursione monstravit: et documentum repentini ac pernicious occurrentis, procuratorem Dei voluntatis ostendit; ut quod difficili expeditione potuisset occurrere, facili celeritate perfectum sit urgentis Domini jussione; et ut prius te in Ecclesia Dei episcopum stare conspiceres et stuperes, quam venisse dignoscereris.

X. Inde dilectionem jam tecum suam Dominus initiata charitate firmavit; inde amicitiam tecum, quam discipulis suis sub triumpho crucis suæ tradidit dedicavitque, dicens (Joan. xv, 14): Si feceritis quæ mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos; inde martyrium, inde sacerdotii electionem signavit. Magna amicitia est, per quam ad Christi vultus admitteris, extraordinaria hostia pervenire. Sic eliguntur justi, sic probantur religiosi ac simplices in Christi timore electi; ut ante remunerationi fidei destineris, ante præmio devotæ menti, in Domino dignus habearis, quam venerit hora decreti, quam exceperis sententiam Christi, probatam te et paratam hostiam

ANNOTATIONES.

Brevi admonitione. Sic Remig.; editi, *Hebræa admonitione.*

Fidei juvenis. Sic Remig. et alii; editi, *viventis.*

Famulatu. Sic Remig.; editi, *stimulatu.*

Ad proximam. Sic idem; editi, *ad permixtam.* Paulo post ex eodem legimus *ut expectem*, pro eo quod est in editis *expectum*; et tu enim sequeris pro sequar; et vitam se esse pro vitam esse.

Misericordia Domini ac favore. Sic Remig.; editi, *misericordiæ Domini favore.*

Conjungi merear, ut. Hæc addita ex eodem codice.

Fidei. Editi addunt *nostræ*; quidam codices mss., *vestræ*; neutrum in Remig. Paulo post, *de inopinato* in Remig. et aliis duobus.

Altari suo. Sic Remig.; deest suo in editis.

Inspirata. Sic Remig. et Sorbon.; editi, *insperata.*
Reservatum. Ut enim. Sic Remig. et alii tres; *reservatus* ut in editis.

Dimicantis plebis. Remig.; *dimicationis* editi.

Pernicis. Remig. cum quatuor aliis; *perennis* editi.

Urgentis. Ita Remig. cum tribus aliis; *urgente* editi.

Dignoscereris. Sic Remig.; editi, *dignosceris.*

Sub triumpho. Sic codices mss. et Morel.; cum triumpho Pamel.

Magna. Hanc vocem addimus ex cod. Remig. Idem cum alio habet *pervenire*; editi, *pervenis.*

In Christi timore. Sic codices mss.; in Christum editi.

electio cœlestis inveniat. Etenim ille te, qui non mendax est Deus, qui episcopum plebi suæ de improvviso constituit, ille plena dilectione suæ voluntatis te coronabit. Tunc tantum ut nostri memineris petimus, et oramus, cum pudice affectionis Domini probata atque immaculata hostia, ante Christi tribunal adstiteris, cum gloria gratiæ Dei, præmium devotæ mentis ac remunerationem acceperis; memoriæ hæreat, et tenaciter in sensibus tuis maneat, quam nobis impertire dignaris, dilectio charitatis; ut orationibus tuis peccata nostra veniam consequantur, ut meritis justitiæ tuæ, vitæ nostræ delicta purgentur. Etenim martyrii


A instar esse confido, peccatorem justî petitione meruisse salvari: ut et, cum ipse promereri quid precibus tuis minus possis, martyris meritis libereris. Sic Job justus pro amicorum trium peccatis a Deo rogaturus et impetraturus ostenditur, et probatio timoris ejus et fidei Domini voce teste signatur. Cum ergo in die liberationis tuæ, charissime, repræsentare te Christi vultibus cœperis; cum in aternitatem perpetuitatemque videndi regnare cum Christo felici sorte successeris: pro Domini misericordia in mente jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.

ANNOTATIONES.

Pudice. Sic Remig.; non male in alio, *pudicæ*; editi, *pudicitia*. Auctoritate ejusdem cod. Remig. et aliorum nonnullorum legimus *tenaciter pro teneas ut*, et *promereri pro promovere*, et alia nonnulla emendamus.

Justi petitione. Sic Remig. *justi martyris edit.* et paulo post, *martyris precibus* in eod. Remig. *Celsum. Cæcilium* cod. Remig.

PRÆFATIO NICOLAI LENGLET DUFRESNOY (1) IN LACTANTIUM.



I. Jamdudum expectant eruditi emendatiorem atque perfectionem, quam antehac, Lactantianorum operum editionem. Hanc publici juris facimus, atque id curavimus, ut textus sit emendatissimus; notæ vero non ad ostentationem, sed ad utilitatem referantur. Ne putes tamen, lector erudite, hæc omnia soli meæ curæ deberi. In mentem equidem mihi anno 1707 venerat hanc operam in me suscipere, ut otium quod erat mihi a seriis negotiis, quibus detinebar insulis Flandrorum in aula Bavarico-Coloniensi, hoc studio exercerem; omnes fere Lactantii editiones congresseram, atque manuscriptos quosdam, tum in Belgio, tum antea Parisiis contuleram; notas item plurimas assiduo labore confectas et undique conquistatas in unum concervaveram.

II. Sed quo tempore hæc animo versabam, et manum admovebam, ut ad finem operis properarem, nunciatum mihi fuit, Joannem Baptistam le Brun Rothomagensem, Aureliæ ad Ligerim tunc degentem, omne studium, laborem omnem Lactantio emendando intendere; tunc susceptum opus deposui, atque per interpositos anticos misi Joanni le Brun selectas decem editiones et amplius ex rarioribus quadraginta, quas summa cura collegeram. Hujus doctrina et diligentia mihi ex editis S. Paulini operibus, aliisque non indoctis lucubrationibus notæ ac probatæ erant.

(1) Cujus editionem, ut pote omnium hætenus publici juris factarum loco habendam, ad innumerorumque tam editorum quam manuscriptorum codicum fidem emendatam, nonnullis tamen vel in melius mutatis vel additis, recudimus.

B III. Verum, re infecta, anno 1731, abiit ad superos vir eruditus, atque quibusdam ab hinc annis ejus mihi commissa sunt scrinia, et creditæ annotationes. Sed quantus me stupor incesserit vix enarrare fas est, cum viderim, editorem sane eruditum, improbo decem annorum labore in eo tantum desudasse, ut undique concervaret, imo et corraderet varias lectiones manuscriptorum codicum et Lactantianarum editionum; omissis interim iis observationibus, vel historicis, vel criticis, quæ ad auctoris mentem tum assequendam, tum explanandam essent necessariae. Hac inita ratione, numerum tantummodo editionum auxisset Joannes le Brun; sed antiquiorum non extinxisset desiderium, imo potius incendisset.

IV. Sed ad Lactantium ipsum nostra convertatur oratio. Certum est auctores inter Latinos id illi peculiare esse, ut quodammodo sit ad diversa munia paratus. Si etenim in scriptoribus ecclesiasticis secundum, aut tertium solummodo locum habet, procul dubio vir fuit primarius in re litteraria, propter variam ejus eruditionem, dignam homine litterato. Tanta quippe facundia, nitore tanto, tanta etiam gravitate de rebus maxime in religione necessariis sublime disputat atque disserit, ut nostris temporibus æque gratus sit, ac prioribus Ecclesiæ sæculis.

V. Quærere vulgo solent, cur eruditus ac eloquentissimus scriptor suas ediderit Institutiones. Id porro causæ fuit: sicut prudentes, et arbitri equitatis Institutiones juris civilis compositas vulgarunt, quibus dissidentium lites contentionesque sopirent, sic Divinas Institutiones eo potissimum publici juris